(Musaeus)
Heinrich

SPECIMEN ANIMADVERSIONVM
IN
MVSAEI CARMEN
DE HERONE ET LEANDRO

VIRO CLARISSIMO

FRIDERICO IACOBSIO

IN ILL. GYMNAS. GOTH. PROFESSORI

NVPTIAS

GRATVLATVRVS

SCRIPSIT

CAROLVS FRID. HEINRICH

GOTHANVS

SEMINAR. R. PHILOLOG. GOTTING.
SODALIS

Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.

GOTTINGAE

TYPIS BARMEIERIANIS

MDCCXCII.

Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.

HORAT.

V. 5. Νηχόμενόν τε Λέανδρον ὁμοῦ καὶ λύχνον ἀκούω.

Poeta Muſam illa, ad quae eam exhortatus erat, amores ſcilicet Leandri et Heronis lucernaeque miniſterium, canentem ſe audire dicit; quae ſingularis ratio eſt, tantum non noua, at, opinor, poetae noſtri ingenio non indigna. Simile quid magnifice exornauit Claudianus R. Proſ. princ. SCHRADERVM h. l. vt ſaepe, mire turbantem videbis. Nec adhuc ſuffragari potui TOVPIO *Emendatt. in Suid.* T. II. P. 191. ed. Lipſ. pro ἀκούω tentanti ἀείδω, quae vulgaris forma eſt.

V. 8. Λύχνον, ἔρωτος ἄγαλμα. — — —

Ἔρωτος ἄγαλμα de lucerna dictum, interpretibus de loquendi vſu ſecuris, modo eſt *amoris ſignum*, (Cl. Kütner: *das Panier der Liebe*) modo *ſolatium*, modo *monumentum* etc. Equidem, cum locus ex iis ſit, in quibus, quis verus ſenſus, vix certo definiri poſſit, varias interpretandi rationes proponere contentus, liberum cuilibet iudicium relinquo. Ἄγαλμα eſt *ornamentum quoduis*. (vid. erudite de h. v. diſputantes V. V. D. D. Dorvill. ad Charit. p. 205. ed. Lipſ. et Rvhnken. ad Timaei Lex. p. 5. ſqq. nov. edit.). Lucerna iam *amoris ornamentum* dici poſſet, quatenus ea adiuuante amor feliciter procedebat et quaſi adornabatur. Non abſimili modo Luna noctis ἄγαλμα audit Hymn. Orph. VIII. 9. quippe qua nox colluſtratur adeoque ornatur. Cf. Bion. Fragm. VIII. 2. Alia via eſſet, ſi ἔρως pro ἐρῶν acciperes, vt Latinis ſaepe *amor* et *amores* pro amantibus. Exempla collegit diligentia Doeringii V. C. praeceptoris mei optime de me meriti, ad Catull. X. 1. add. Tibull. I. 4. 40. I. 5. 75. et paſſim. Ouid. Met. IV. 137. Lucerna nunc *voluptas* dici poteſt aut Heronis, quia amaſium

tum

aduocabat, aut Leandri, quoniam hic eam habebat viae ducem. Etiam ἔρως, litera maiori appicta, de Cupidine intelligi poteſt; forte non inepte. Anacreonti Od. LI. 6. ver Χάρισιν ἄγαλμα pervenuſte dicitur. Cf. FISCHER ad h. l. Euripides canem Ἑκάτης ἄγαλμα appellauit notante RVHNKENIO l. c. p. 7. Noſter igitur commode lucernam *Cupidinis oblectamentum* vocare poterat, quandoquidem eius auxilio Cupido conſilium ſuum (v. 17.) exſecutus erat. Eſſe denique video, qui *ſimulacrum Amoris* explicent, quod longius petitum videtur.

V. 32. Πύργον ἄπο προγόνων παρὰ γείτονι ναῖε θαλάσσῃ.

Habitabat igitur Hero turrim iuxta mare ſitam, quam reliquiſſe dicendum eſt, quando ſacerdotio Veneris erat fungendum. Quod ſi ita animo conceperis, veri omnino habet ſpeciem, nec opus eſt vt accedas LESSINGII, immortalis viri, ſententiae (*Ueber das Epigramm* p. 316 ſeqq.) Heronis turrim fuiſſe templum Veneris altius exſtructum, quae an praeter ſubtilitatis

laudem multum habeat, quo ſe commendet, valde dubito. Quae enim adducit acutiſſimus vir Anthologiae Epigrammata, docent quidem Veneris ἐυπλοίης ſ. ποντιάδος templa prope mare fuiſſe poſita, non vero, turrim quam habitabat Hero, fuiſſe templum Veneris. — Verba ἄπο προγόνων crucem fixerunt V. V. D. D. Alii explicant: *procul a parentibus*, alii turrim *a maioribus acceptam* intelligunt; nec defuere, qui lectionem coniectando ſollicitarent. LENNEP. ad Coluth. propoſuit:

πύργον ἀποπρὸ γονέων vel

πύργον ἀποπρὸ δόμων.

Magnus WESSELING ad Diodor. S. T. II. p. 468.

πύργον ἐπὶ προβόλων.

Equidem interpretando, non emendando verbis laudatis ſuccurrendum puto. A vero non longe abfuit SCHRADERVS, quem tamen miſere ſe torquere doleas. Scilicet πύργος ἀπὸ προγόνων, ſi quid aſſequor, pro

pro ſimpl. π. τῶν προγόνων dixit poeta, exquiſita nec inſolita vſus loquendi ratione. Hybrias in egregio Scolio ap. Athenae. XV. 15. p. 685. v. 4. ὄινος ἀπ' ἀμπέλου pro ὄινος τῆς ἀμπέλου. Ariſtoph. Av. 1516. κνίσσα μηρίων ἄπο. Theocrit. II. 80. ἀπὸ γυμνασίοιο πόνος. Cf. V. 95. VI. 15. Lucret. de R. N. II. 50. *fulgor ab auro.* Virg. Georg. II. 243. *dulces a fontibus vndae.* Ex his, quae adduxi, exemplis, ſatis puto ſtabiliri in Hermeſianactis diuino Fragm. ap. Athenae. XIII. p. 597. vulgatam lectionem vs. 36. μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου, quam magni nominis Criticos, LENNEPIVM et RVHNKENIVM *Epiſt. Cr.* II. p. 291. in μαλακοῦ πνεῦμα τὸ πενταμέτρου reſingi voluiſſe mireris.

V. 42. Primi amantium congreſſus in feſtis Veneris atque Adonidis (de quibus vid. praeter Theocrit. XV. Cl. MANSO ad Bion. I.) fuiſſe finguntur; quem morem vett. in ſollennibus Deorum feſtis primos amores iungendi, attigit DORVILLE ad Charit. p. 208. ed. Lipſ. Quid? quod in hac re noſtri homines a priſcis parum diſcrepant. — Cum ſeqq. v. 44 - 50.

 comp.

comp. ornatiſſimus locus Catulli de Nupt. P. et Th. v. 32. ſeqq.

V. 71. 72. Verſus hos ductos eſſe ex Apollon. Rh. III. 444. ſeq. acute vidit Cl. MITSCHERLICH, vir omnis elegantioris doctrinae copiis inſtructiſſimus, *Lectt. in Catull.* p. 81. — V. 73. *τὶς* vert. *non nemo* iuuenum (*mancher* Jüngling) non cum omnibus: *vnus* e iuuenibus. vid. 84. *τὶς* hac vi in Homero obuium. Il. II. 271. VI. 459. 462. IX. 628. etc. Sic *τὸ aliquis* Latin. v. c. Stat. Theb. I. 171.

V. 84. 85. — — *ἄλλοθεν ἄλλος*
Ἕλκος ὑποκλέπτων ἐπεμήνατο κάλλεϊ κούρης.

Elegans eſt ac notabilis v. *ἐπιμαίνεσθαι τινι* vſus de rebus, quibus toto animo inhiamus. Moſchi Fr. VI. 2.

— — *Σάτυρος δ'ἐπεμήνατο Λύδαν.*

Venuſtiſſimo poetae fortaſſe ex hoc ipſo Muſaei loco reſtituendum eſt ΛύδΑΙ; id quod obiter monere liceat. Conf. Theocr.

cr. II. 48. 49. Latini poetae in illo dicendi genere Graecos imitati videntur. Catull. de Nupt. P. et Th. 98.

Qualibus incenſam iactaſtis mente puellam
Fluctibus, in flauo *ſaepe* hoſpite ſuſpirantem!
Cf. Ouid. Art. I. 731. 32.

V. 94. 95. Ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστιν. ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων
Ἕλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει.

Ἕλκος in omnibus libris locum ſuum tuetur. SCHRADERVS quibusdam Codd. adſtipulantibus ſubſtituit κάλλος, vanam elegantiam in repetitione ſuperioris vocis (v. 92.) captans. Geminationis eiusdem verbi vim vnusquisque ſentiet in his locc. Supra 5. 6. Anacr. Od. XXIX. 34. Apollon. Rh. I. 956. Catull. de Nupt. P. et Th. 260. 285. 325. Aty. 8. At in noſtro l. repetitio vocis pluribus vss. interiectis prorſus friget. Retinendum ἕλκος, quod ſicuti Latin. *vulnus* ſaepe pro *quacun-*

que animi affectione eſt. v. 85. et infr. 199. Virg. Aen. I. 36. *Iuno aeternum ſeruans ſub pectore* vulnus i. e. iram. IV. 2. vulnus *alit venis* i. e. amorem. Cf. ibid. v. 67. et Ouid. Met. V. 427. Ceterum cum his vss. contende Meleag. LXXXIV. 9. 10. vbi Noſtri non immemor fuit Cel. MANSO.

V. 125. Μῆνιν ἐμῶν ἀπόειπε πολυκτεάνων γενετήρων.

Qui verſui ineſt ſenſus, ſole clarior. Hero iuuenis impetum minis repellere cupit, eumque eius parentum iram vereri iubet. Sic πολυκτεάνων aptiſſime adiectum, nec, cum CARPZOVIO, πολυκλαύςων refingendum. Enimuero de lectione ἀπόειπε laboro, eamque vix poetae manum eſſe puto. Qui verbo adhaerent ſignificatus (vid. b. KOEPPEN *Anmerkungen z. Hom.* T. II. p. 273.) manifeſto loci ſenſui non reſpondent. Nuperus idemque male feriatus Muſaei editor, inuitis Muſis coniecturam ſuam ἀπόλειπε in textum intulit. Sagacioribus vlcus ſanandum committere, conſultius mihi videbatur.

V.

V. 145. Θεσμὰ θεῆς ἐρόεντα, καὶ ὄργια πιστὰ δαῆναι.

Ὄργια πιστὰ intelligo *Sacra fida*, i. e. *quae fidem requirunt eaque constant.* Opponuntur, egregie monente DORVILLIO ad Charit. p. 444. ed. Lipſ. vagis libidinibus. Coniectura LENNEPII ad Coluth. p. 80. ὄργι' ἀπυστα praeclara eſt ac tali ingenio digna. Cf. infr. 274. ſeqq. Pudet huic adiungere miſellam TEVCHERI lectionem ὄργια πύστα, quam iſte (credite poſteri!) poetae violenter obtrudere auſus eſt.

V. 162. Καὶ χθονὸς ἔξεεν ἄκρον ὑπ' ἴχνεσιν. ——

Lectio ὑπ' ἴχνεσιν pro ἐπ' ἴχν. ſatis certa eſſe videtur. Nam praepoſ. ὑπὸ ſexto caſui appoſita haud raro redundat, ideoque Vir ſummus, HEYNE, praeceptor meus aeterna reuerentia proſequendus, in Not. ad Apollodor. T. I. p. 80. optimo iure refinxit ap. Oppian. Cyneg. IV. 164.

Δερκόμενος χαροποῖσιν ὑπ' (pro ἐπ') ὄμμασιν αἰθόμενον πῦρ.

Οὔτις

Sententiarum autem nexus verborumque ſenſus, hoc modo, niſi fallor, conſtituendi: Virgo perdite amantis iuvenis blanditiis delinita, initio tacita vultum in terram deſigit, ore prae pudore occultato; mox greſſum vertit, quaſi Leandrum relictura, leviter tamen ac ſine ſtrepitu, quod puellae eſt pudore contactae. Haec omnia virginem, Leandri verborum lenociniis amorisque libera confeſſione perculſam, in formoſi tamen iuuenis conſilium fere procliuem, ad meum ſenſum, haud inepte depingunt, nec a me impetrare poſſum, vt applaudam KROMAYERO aliisque puellam intelligentibus, prae conſilii inopia, altero pede terram radentem et ſtringentem. Hoc enim, quo iure πειθοῦς προάγγελον eſſe poſſit, non docent illi, nec equidem video. Praeterea verba noſtrae interpretationi egregie patrocinantur. Ξέειν de leui inceſſu dr. vt Latin. *radere.* Virg. Aen. V. 216. de columba volante: *radit iter liquidum.* vid. V. Ill. HEYNE ad h. l. *ἴχνη pedes* ap. Eurip. Oreſt. 140. Orph. Argonaut. 254. et al. Hinc Latini *veſtigia* pro pedibus, Catull. de Nupt. P. et Th. 162. *candida veſtigia* ubi vid. quos excitauit Cel. DOERING.

V.

V. 178. — — πῶς γὰρ ἀλήτης
Ξεῖνος ἐὼν καὶ ἄπιςος, ἐμῇ φιλότητι μιγείης;

Ἄπυςος SCHRADERVS excudi iussit, ROEVERVM secutus. Malim retinere vulg. ἄπιςος, idoneum cuiuslibet peregrini et quasi perpetuum Epitheton. — Notabilis deinde est exquisitior loquendi forma μιγῆναι φιλότητι τινὸς pro vulgari μιγ. τινι ἐν φιλότητι. Hom. Hymn. in Vener. 150.

Οὔτις ἔπειτα θεῶν, οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων
Ἐνθάδε με σχήσει, πρὶν σῇ φιλότητι μιγῆναι.

Hesiod. Clip. Herc. quem iuuenili mea opera illustratum proxime emittere animus est, v. 35.

Αὐτῇ μὲν γὰρ νυκτὶ τανυσφύρου Ἠλεκτρυώνης
Εὐνῇ καὶ φιλότητι μίγη, τέλεσεν δ' ἄρ' ἐέλδωρ.

vbi b. KOEPPEN (*Griechische Blumenl.* T. II. p. 243.) rarioris formae ignarus, citra necessitatem corrigi volebat τανυσφύρῳ Ἠλεκτρυώνῃ.

V.

V. 213. 14. Καί μιν ὀπιπτεύων, οὐκ ὄψομαι δύντα Βοώτην,
Ὀυ θραχσὺν Ὠρίωνα, καὶ ἄβροχον ὀλκὸν Ἀμάξης.

Vexatiſſimi vss. variis variorum hariolationibus. CANTERUS *Nov. Lect. I. 2.* pro ὄψομαι refingebat ὀψὲ δύοντα ex Hom. Od. V. 272. diphthongum αι corripi poſſe negans. Quaeſtio a pluribus agitata in primis a BENTLEIO ad Callim. H. in Iov. 87. IENSIO *Lect. Lucian.* II. 6. multisque aliis. Equidem de re nunc non dubito excuſſis, quae ſatis multa in hanc rem, congeſſit SCHRADERVS exemplis in Animadv. p. 304 ſqq. propterea que, mutandi nullam eſſe cauſſam, exiſtimo. At vellem in loco interpretando ſani quid attuliſſent intpp. SCHRADERVS nunquam magis halucinatus eſt, quam h. l. Aſtra a poeta memorata eiusmodi ſunt, quae nautae ſedulo obſeruare, et ad quae nauis curſum dirigere debebant. *Bootes*, aliis *Arctophylax* dictus, ſera nocte occidens, nauigantibus periculoſum ſidus; id quod ipſe Arcturus, ſtella in eius ſigno poſita, teſtatur ap. Plaut. Rudent. Prol. 70.

Ar-

— *Arcturus signum sum omnium acerrumum:*
Vehemens sum oriens: cum occido vehementior.

Orion nautis infestus, cui non dictus? Anacr. Od. XVII. 9. ϛυγνὸς Ὠρίων. vbi v. intpp. Theocr. VII. 54. vbi v. Schol. Horat. I. 28. 21. III. 1. 27. III. 27. 17. Epod. X. 10. XV. 7. Virg. Aen. I. 535. vid. V. S. HEYNE. cf. IV. 52 — Ἅμαξα, *Currus*, aliis *Vrsa maior*. Huic tribuitur ὁλκὸς ἄβροχος, quia nunquam occidit, id est poetis, nunquam in mare immergitur. Cf. Ouid. Met. II. 71. ibique Doctiss. GIERIG. Trist. IV. 3. 2. ὁλκὸς docte de plaustro dictum, quatenus trahitur, ἕλκεται. Pari ratione Dionysius Cyzicenus in Hymno praecellenti (BRVNK. *Anal. Vett. P.* T. II. p. 253.) v. 23. ὑπὸ σύρμασι μόσχων pro μόσχοις, οἱ σύρουσι sed doctiori forma. In eod. Carm. v. 18. turpi mendo foedatus est.

Σοὶ μὲν χορὸς εὔδιος ἀϛέρων
Κατ' Ὄλυμπον ἄνακτα χορεύει
Ἄνετον μέλος αἰὲν ἀείδων κ. τ. λ.

Vocem ἄνακτα ferri non posse, in confesso est. Dandi casum propter σοὶ, in versione ver-

vernac. expreſſit Excell. HERDERVS (*Zerſtreute Blätter.* T. II. p. 202.) reddens: *dir*, *dem Könige.* Suſpicor poetam potius dediſſe:

Κατ' Ὄλυμπον ἄτακτα χορεύει.

Ἄτακτα pro aduerb. eſt, vt Anacr. Od. L. 24. Cantus autem remiſſior liberiorque (ἄνετον μέλος) cum ſaltatione incompoſita optime conuenire videtur. Acutiores iudicent. Illuc reuertor. Secundum illa, conſulto a nobis vberius expoſita, loci ſenſus aperte hic eſt: *Lucerna tua mihi eſt pro aſtris, eamque intuens non curo Orionem, nec Booten, nec Vrſam.* Vide, quam poetice Noſter extulit ſimplicem ſententiam: Lucerna tua viam mihi monſtrabit, non ſidera. Huic explicationi magnum pondus addit locus geminus Ouidii Heroid. XVIII. 149 ſeqq.

Nec ſequar aut Helicen, aut qua Tyros vtitur, Arcton:
Publica non curat ſidera noſter amor. &c.
Eſt aliud lumen, multo mihi certius iſtis,
Non erit in tenebris quo duce noſter amor.

V. 221.

V. 221 - 29. Ὡς οἱ μὲν κρυφίοισι γάμοις συνέθεντο μιγῆναι,
Καὶ νυχίην φιλότητα, καὶ ἀγγελίην ὑμεναίων,
Λύχνου μαρτυρίησιν, ἐπιςώσαντο φυλάξειν.
Ἡ μὲν φῶς τανύειν, ὁ δε κύματα μακρὰ περῆσαι.
Παννυχίδας δ' ἀνύσαντες ἀκοιμήτων ὑμεναίων,
Ἀλλήλων ἀέκοντες ἐνοσφίσθησαν ἀνάγκῃ,
Ἡ μὲν ἑὸν ποτὶ πύργον, ὁ δ' ὀρφναίην ἀνὰ νύκτα
Μήτι παραπλάζοιτο, λαβὼν σημήϊα πύργου,
Πλῶε βαθυκρήπιδος ἐπ' ἐυρέα δῆμον Ἀβύδου.

Singula primum expendamus, deinde omnem narrationis ſpeciem. Συνέθεντο de amantibus, *mutuam ſibi fidem obſtrinxerant.* Συντίθεσθαι ſimiliter occurrit ap. Longum Paſtoral. Prooem. νέοι συντιθέμενοι. ad q. l. verbi vim docte illuſtrauit Eruditiſſ. VILLOISON. in Animadvv. p. 6. ſq. Exemplis add. Platon. Menex. Cap. XVII. ξυνέθεντο καὶ ὤμοσαν. Thucyd. III. 114. ---

φῶς τανύειν est *lucernam protendere.* Pari modo Eurip. Iphig. in A. 34. *Λαμπτῆρος φάος ἀμπετάσας.* —— *λαβὼν σημήϊα πύργου* lectio est SCHRADERI ex coniectura BERGLERI, an satis felici, postea videbimus. Vulg. *βαλὼν* sine dubio in mendo cubat. Denique *δῆμος Ἀβύδου* est *terra Abydena. δῆμος* pro *terra* ac *regione* passim. Hom. Il. II. 547. Od. I. 237. VI. 3. Hymn. in Dian. 4. (T. V. p. 101. ed. Ern.) Eodem modo *gens* Latinis vsurpatur. Virg. Aen. I. 533. Ouid. Met. II. 245. vbi v. BURMANN. In verbis loci, quem totum adscripsi, parum inest difficultatis, plus in narrationis nexu, quem nondum satis expedio. Amantes de nuptiis furtiuis inter se conueniunt. (v. 221 - 24.) Iam, postquam prima Venere fruiti sunt, (v. 225.) Hero turrim suam petit, iuuenis Abydum. Quid ergo? Si in Heronis turri *ἀκοιμήτους ὑμεναίους* non peregerant, quo alio loco? an in fano Veneris? quod vix committi poterat. Alterum, quod me offendit, sunt verba *λαβὼν σημήϊα πύργου*, quae interpretantur: *respiciens signum turris* i. e. lucernam, nulla plane narrationis habita ratione. Primum Leander lampadem conspicere

nondum

nondum poterat, vtpote nondum ſuſpenſam. Deinde dicant mihi interpretes, qua ratione Leander reſpicere potuiſſet natando lucernam, et, quod magis vrgeo, cui bono? Namque lampas a tergo ſuſpenſa, quid prodeſſe poteſt ad terram e regione poſitam nataturo? Locus vt vulgo ſe habet, vix ſanus eſt, imo forte mutilus. Quod olim ſuccurrebat, pro *βαλὼν* legendum eſſe *λιπὼν*, nunc parum placet. Tu lector, ſi quid noueris rectius iſtis, candidus imperti! —

V. 281. Καὶ *γάμος ἦν ἀπάνευθεν ἀειδομένων ὑμεναίων.*

Inueſtigaſſe mihi hic videor pannum a ſeriori manu aſſutum, fortaſſe e margine in textum illatum. Eadem enim ſententia bis iam expreſſa erat v. 274. 278. An putabimus tertio eam repetiiſſe poetam?

V. 297 - 99. — — — *τυπτομένης δὲ*
Ἤδη νῆα μέλαιναν ἀπέκλασε διχθάδι χέρσῳ,
χειμερίην καὶ ἄπιςον ἀλύσκαζων ἅλα ναύτης.

Verſamur in loco, V. V. D. D. coniectu-

ris ac erroribus ita obſcurato, vt in his tenebris aliquid diſpicere, difficillimum ſit. Laboramus in verbis: ἀπέκλασε διχθάδι χέρσῳ. Quid ſit *nauem frangere*, quid δίχθας χέρσος, non ſtatim liquet. Priorum intpp. hariolationes in KROMAYERI edit. videre licet. Sufficiat nobis potiora recentiorum criticorum commenta notare. DORVILL. ad Charit. p. 361. ed. Lipſ. legendum coniecit aut ἀνέλκυσε aut ἀνέσπασε, loco de nauis ſubductione intellecto, quo etiam διχθάδι χέρσῳ referendum. Huius ſententiam amplexus eſt SCHRADERVS, qui tamen in δ. χέρσῳ admodum tricatur. BRVNK. V. Ill. ad Apollon. Rh. I. 955. lectionem h. l. hunc in modum refingit:

—— —— —— τυπτομένην δὲ

Ἤδη νῆα μελαίναν ἐπέλκυσε διψάδι χέρσῳ.

Generoſ. ALXINGER, inſignis Germanorum poeta, qui Carmen noſtrum vernaculis numeris redditum (v. *Deutſches Muſeum.* 1785. Vol. II. p. 289 ſeqq.) WIELANDO inſcripſit, coniecturam ſuam: ἀπέκλασεν ἠθάδι χέρσῳ in verſione expreſſit. Si recte iudico, non tam emendatione, quam interpretatione vss. extricandi. Adumbrauerat Noſter ſummam aequoris com-

commotionem: nunc ſubiicit, nautam maris aeſtu coactum iam vitaſſe pontum, naui ad litus alliſa adeoque fracta. Additum hoc videtur, ad declarandam maris concitati vim ac vehementiam, quae tam repente ingruit

Vt quaecunque in eo tum ſunt deprenſa tumultu
Nauigia, in ſummum veniant vexata periclum.

vt verſibus vtar Lucretii de R. N. VI. 428. De re ipſa dubitare non licet. Mos enim eſt nautis, vbi exorta tempeſtate, in alto mari omnis ſalutis ſpes eſt praeciſa, vt navem fluctibus ad litus allidendam tradant, ſicque frangi patiantur. Exemplis ſunt Tarchon ap. Virg. Aen. X. 290. vbi omnino vdr. HEYNE V. S. et nauis, qua vehitur Paulus cum ſociis Act. Apoſt. XXVII. 39. In verbis διχθας χέρσος, de quibus miras res commenti ſunt interprett. (vid. KROMAYER ad h. l.) minor difficultas ineſt. Intelliguntur Seſtus et Abydus. διχθας vox poet. pro δισσος. Simplex *in terra* ſ. *ad litus* ornauit vt poeta, certam terram nominando; id quod ſexcenties fieri, quis neſcit? Adeas ſaltem Horat.

 Od.

Od. I. 1. vbi *Lybicae areae, trabs Cypria, Myrtoum mare* etc. ad eandem rationem reuocanda. Iudicent alii, an ſic poetae mentem aſſecutus ſim. Equidem in praeſtantiſſimi mei praeceptoris, HEYNII, grauiſſimi iudicis aſſenſu, laetus acquieſco.

V. 314-16. *Ἤδη κύματι κῦμα κυλίνδετο, σύγχυτο δ' ὕδωρ.*
Αἰθέρι μίσγετο πόντος· ἀνέγρετο πάντοθεν ἠχὴ
Μαρναμένων ἀνέμων. κ. τ. λ.

Splendidiſſima tempeſtatis deſcriptio, quam Marone non indignam cenſeo. — *σύγχυτο δ' ὕδωρ* vulgata lectio ante ROEVERVM, qui ex veteri edit. dedit *σύνθετο δ' ὕδωρ*, applaudente SCHRADERO. Mihi antiqua legendi ratio multo accomodatior eſſe videtur. *συγχύσθαι perturbari* eſt, vt Latinor. *confundi.* Virg. Aen. V. 496. XII. 291. Pro hoc exquiſitius *ἐκχέειν* vſurpauit Sophocl. Philoct. 13. — Vs. ſeq. pro *ἠχὴ* in quibusdam libris comparet *ἡ γῆ*, recte ab aliis, vt KROMAYERO, ROEVERO ac SCHRADERO reiectum. Hic enim de maris non de terrae tempeſtate ſermo

ſermo eſt. — μαρναμένων ἀνέμων. Ventorum inter ſe certantium ſollennis fere in tempeſtatum deſcriptionibus mentio. Horat. Od. I. 3. 13. ap. Virgil. paſſim. E contrario venti tranquilli et compoſiti Heſiodo Opp. et D. 670. εὐκρινέες i. e. *quorum lis iudicata eſt*, audiunt, quod male accipiebat GVIETVS pro σαφεῖς, *cognitu faciles*.

V. 325. — — ποδῶν δὲ οἱ ὤκλασεν ὁρμή.

Ὁρμὴ ποδῶν commode dici poſſe non dubito. Vert. *infractus eſt natanti pedum impetus* i. e. vis ſ. vigor. Blanditur tamen, in quod incidit TEVCHERVS: ποδῶν ἀκμή, digna lectio, quae in textum induceretur, ſi Critici eſſet poetam nitidiorem reddere. Pindar. eodem dicendi genere vſus eſt. Iſthm. III. 8. 3. idemque, tanquam magis poeticum pro ἀλκὴ Olymp. II. 114. reſtituit Vir Summus HEYNE in nuper editis *Additament. ad Pindar*. p. 10. Verum noſtro loco ὁρμὴ ποδῶν retinendum, vt omnino praeter neceſſitatem nihil nouandum cenſeo.

Iam

Iam vero hic tandem desino, ne cum IACOBSII mei, tum aliorum, quibus leue hoc specimen manibus versare forsitan placuerit, otio abuti velle videar. Telam, quam idonea hac occasione exorsus sum, alio tempore detexere licebit, quando ad Musaeum perpetuis notis dilucidandum serio me accinxero. Nunc, vt aequi iudices pusillum laborem meum, inter bonae valetudinis curas susceptum ac tempore vrgente acceleratum, indulgenter aestiment, errantemque comiter in viam reducant, etiam atque etiam rogo. Scrib. Gottingae mens. Mai. MDCCLXXXXII.



